



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Mariani Societatis Iesv

Nádasi, János

Romæ, 1658

Anno 1544.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42840

PARALIPOMENA MARIANA

Quorundam quæ in hisce Annalibus omissa sunt in
primo seculo, suis annis, & locis reponenda.

ANNO 1544.

*In dubijs
consultri-
cem Dei-
paræ ad-
hibere.*

2. Nou.

*Christo ad
defatiga-
tionem usq;
seruire.*

884 *Ioannes Nunnez Lusitanus, Abbas, postea
Societate IESV initâ Æthiopiæ Patriarcha, cùm
hoc anno incertus animi, ac deliberabundus hære-
ret quænam viuendi ratio ad beatam vitam esset
magis expedita & Deo grata, rogabat assiduè Dñ
Matrem, optimam nutantium cordium consultri-
cem, ut consultationem totam ipsa regeret. Nar-
rabat postea Ioannes Melchiori germano suo; sibi
felicem illam sui filij præsidem postridie kalen-
das Nouembris ipso die fidelium animarum augu-
stâ & amabili specie coram spectabilem adesse vi-
sam cum Patre quopiam de Societate IESV, quem
illa sui famuli nomine honorabat, iubebatque Co-
nimbricam proficisci, & ab eius Patris ore consilij-
que pendere. Alij ex Oliuero Manaræo probatz
fidei, atque illius ætatis viro rem ita narrant, vt
Deipara Ioanni per quietem inter Patres hinc Pe-
trum Fabrum, inde Franciscum Stradam conse-
cta, eum interrogârit: *Visne Filio meo ad defatiga-
tionem usque seruire?* Annuenti deinde dixisse; vt
duos illos suos comites sequeretur. Ioannem de-
mum in Petrum Fabrum incidisse, atque ab eo ijs-
dem propè verbis interrogatum; *Visne Christo ad
defatigationem usque seruire?* Vtrumque est ad rem
nostram; docetque debere consul à nobis, & coli
Deiparam obsequijs Christo impensis, ac impigri-
tate amoris plenâ, seu amore minimè otioso. Ita
Ioannes in Societate factus est & ipse famulus Vir-
ginis; cui seruire, est Deo obedire.*

AN-